



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

16. Sciaocensis Resid. destruitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

imaginary species, videt re ipsa schedam veri Dei inscriptam nomine, ab altari, in sinum suum deolare, immotâ alterâ; eandem licet non sine horrore, suo ut fuerat reponit loco, sed ea secundum, & tertium, ibidem reposita ei se in sinum restituit, quâ tam euentis prodigij beneficentiâ, votis suis & gaudio impar, procurrit ad suum tanto hæcenus cultu propugnatum Martem, cõque frustatim contrito inter festos adplausus fidelium sacris fontibus expiatur, & beatæ sorti congruâ nomenclatione Felix appellatur.

Quantæ portò nostris voluptati fuit, sedes Hancei stabilita feracissimo conuertendarum animarum solo, tantum prope mæroris attulit, Sciaocensis eodem hoc tempore euulsa stirpis, haud certè iacturâ per se magnopere dolendâ cum multis iam mensibus Ferreira, & Dias Christianum gregem ne vno quidem auxissent capite, vsque adeò illie inualuerat rumor à Quanceensibus Mandarinis, idem esse fieri Christianum, & Regni hostibus fœderatum, ex quo etiam duorum, & viginti annorum operosâ culturâ collecti Christiani, nisi rarè se nobis, & tacite in conspectum non dabant. Sed erat hæc sedes rei Christianæ tam necessario vsui, ut vix nisi per illam sperandus esset in regnum aditus, prima enim Regno excludit naues quæ ad commercia Quancei admittuntur: eius euertendæ causas omnes vnâ complectitur vicinia Macai, & quod vitari non poterat cum Lusitanis commercium. Sic ergo res habuit, triennium fluxerat ex quo Longobardus Macaum miserat, de negotiis quibusdam stationis luæ Sciaocensis, & de mittendis ad se, si quæ ab Europa vel India venissent literis, interceptur in reditu nuntius cum fasciculo literarum; à scrutatoribus rectorum, percurtantibus continuò fluuium, Sciaocensi Præfecto sistitur; præcipitato examine, in mancipium perpetuum Regi additur; Longobardus exilio damnatur, vterque non alio reus, nisi alicuius cum Lusitanis commercij. Deerat sententiæ mandatum exequendi, cum ad funus maternum repente lex Præfectum euocauit, pendit intereà Longobardi causa, tabellarius clausus est carcere; literæ ab interpretibus compertæ præter domestica nihil habere, tamen quod Macao venient in omnem euentum asseruantur in tabulario capitalium causarum, nec itum vterius à mense Iunio anni 1611. quo F. Antonio Leitano patria Sinensi concessum est, ut sepulchro nostrorum proximè condendus Macaum portaretur semijam mortuus, ex vomitu sanguinis, & diuturna phthisi. Et verò Quanceo transiens, in oneraria in qua ei locuta dederant Lusitani, biduo post quam eò appulerat obiit; iuuenis sui odio flagrans, demissione religiosâ valdè amabilis, & postrema illa in ægritudine cruciabili, & longa, patientissimi doloris, dum vitibus sexaginta igni applicito, aperiretur totum corpus in totidem vulnera ad extrahendos vitalibus humoribus mortiferos, ex stylo Sinensium Medicorum; quæ tormenti acerbitas vultus eius serenum minime turbauit; quin & mortuo accessit oris color quo viuens care-

T t

16.  
Sciaocensis  
Resid. de-  
struitur.

17.  
Patientia  
eximia Ft.  
nostr.